



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis, Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Dictamina Christiana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)



Dictamina Christiana

DECAS I.

VAlor est rerum, utilitas ejus usus. Ci-
thara non sonat nisi pulsata, & fax
extincta non illuminat. Non omnes nô-
runt Fide uti, neque multi, uti par est, vi-
vere in illa. Verâ quidem Religione gau-
dent Catholici, sed usu ejus duntaxat bo-
ni, vitâ justî. Quid prodest tam grandis
possessio, si careas usufructu?

2. Res meritò deploranda! adeò nos
incautos vivere, ut minor cura sit luminis
Fidei, ac lucernæ. Nè in noctis obscuro
deviemus ad cœnum, auxiliari lumine
præcavemus; nè quis in densissimis
mundi hujus tenebris æternitatis discri-
men adeat, aut præceps corruat, nemo
est, qui Fidei facem admoveat.

3. Qui non operatur bene, Fidem habet
otiosam: qui operatur malè, mortuam.
Non quiescamus in hoc, ut cæleste illud
donum inhæreat nobis; agamus, ut ap-
pareat esse. Dum animæ inest, donum
est; dum in opus transit, sanctum. Non
sufficit

sufficit esse in intellectu, sit & in manibus. Per illum credimus vera, cum his credimus verè.

4. Charitas vita est Fidei; indè animatur, & noscitur esse. Non satis est Christiane! ut sis fidelis, opus est esse justum quoque. Quid honoris Deo obvenit à malis? quid boni à mortuis? Justus est, qui ex Fide vivit, vivit verò per charitatem: quemadmodum corpus ex cibo vivit, sed mediante animâ, quæ vivificat corpus.

5. Non solùm ut credas, Fides proficit, prodest ut & intelligas, & opereris. Quem veritates æternæ convicerint, non potest non malè sentire de temporalibus. Qui verò utrumque conjungit, ille enim verò opera præstiterit Christiano digna.

6. Auxiliari vitro, quo brevior visus adjuvatur in corpore, eodem mentis acies hebetatur. Oculus animæ Fides est, ocularia passiones: per has quidquid intuitus fueris, colore vitri imbutum credes. Sed acutus est oculus Animæ, si expertus passionum sit, pravisque affectibus liber; non eget fallaciâ vitrorum.

7. Qui vel oculis obligatis, vel per ob-

F 5

seuros

ſcuros meatus ducitur, acie licet optimâ inſtructus, negliget tamen perfacilè, quidquid ei vel pretioſiſſimum occurrerit. Idem evenit Fidei lumine imbuto, qui ductum illius non ſequitur.

8. Si res contueremur oculis Fidei, non ſenſuum, aut opinionis, minùs foret, quod nos affligeret, & plùs quod felicigaret. Fallimur non luminis defectu, ſed admixtione.

9. Fidei dogmata non ſolùm in ſe ipſis certa ſunt: ſed & in eo, quod pollicentur. Qui ad aliud lumen objecta expendit, videbit nihil, & inſtar cæci oberrabit.

10. Non ineptè dictum fuit à quopiam, intentionem veluti ſagittam rectâ tendere ad ſcopum. Quodſi autem ſagittarius orbis ſit oculis, quò ſe telù feret? quem Fides nõ direxerit, toto ſanè cœlo aberrabit.

DECAS II.

II. Senſus noſter ſimilis eſt trigono: hoc reddit objecta quidem, ſed inverſa, confuſaque colorum ſerie, tametſi viſui non ingrata. Vix aliter iudicamus de rebus; invertimus, & alias reddimus ac ſint. Quod mundus honorificum cenſet, vile eſt;

est; cui felicitatis famam attribuit, calamitosum. Errori huic nemo alius, nisi Christi doctrina medebitur.

12. Emorientes prunas sufflando excitas: redanimatur & Fides exercitio veritatum, quas illa docuerit. Quis intendente se gelu non accedit ad ignem! Plus omni frigore constringit animum pavor æterni Numinis; ei mitigando Fides proderit, & inflammabit amore vehementissimo.

13. Prunæ jam cinere suo obductæ non candent amplius: videas quoque Fidei lumen exinde non fulgere, quòd pulvere rerum temporalium sese obvolverit. Sordeat illi tellus necesse est, qui purissima cæli dogmata menti suæ cupit inscribi.

14. Quis dubitet, dare pollicita, quàm danda polliceri difficilius esse? Inde reperias quàm plurimos, in cruciatus & mille mortes pro Fide inflammatos; ast ubi voluptas allicit, aut sensus invitat, cereos, & in lapsum pronissimos. Ingemiscunt ab aliis Numen offendi, ignari à se coli Idola cupiditatum.

15. Sapientis cujusdam pronunciatum

est, pluris esse semel dedisse, ac bis promississe. Ego verò dixerim, præstare longissimè opus virtutis unicum, sed certum, proposito duplici dubii eventûs.

16. Spes alimentum est vitæ. Quodsi humana, quæ fallax est, alleviat, & solatur nos in oneribus, quibus hîc gravamur, quantò magis Divina enervabit omnem sensum, & acerbitatem doloris.

17. Usus spei Divinæ convenit Christiano perspectum esse, ut noverit, quæ & quâ parte adhibenda sit. Quorundam lapidum hoc pretium est, quòd cordi appressi mæstitiam tollant. Spes firma in Deum docebit te semper gaudere, soloque, quod speres, cœli obtutu malorum omnium, quæ terra minatur, illiadem profligabis. Sola illius oblivione pateris: illuc obverte animum, & desines tristari. Non affligeris nisi ex culpa propria.

18. Metuentibus Deum misericordia promittitur, eisque certior est, ac sperantibus in illam, aut peccando præsumentibus in illam, aut peccando præsumentibus de illa. Potest pœnitens sperare veniam, præsumptuosus non habet, quod metuat, nisi pœnam.

19. Præsumens de misericordia Divina plus periculi habet ejus amittendæ, quàm spei obtinendæ. Temeritatem dixerim Diabolicam, non virtutem Theologicam.

20. Spes certa vicaria possessionis est, & præcox dominium. Miles Alexandri omni possessione in patria relicta, roganti, quid sibi reservaret: *Spem* inquit *acquirendorum*. Rem mundi omnem non ægre dimiserit, cui spes est melioris indipiscendæ in cœlo. Totum licèt abjecerit, adhuc habiturus est abunde.

DECAS III.

21. Obstupescimus Alexandri animum, ambientis non unius orbis possessionem. Amplius aliquid audet Spes Christiana; tentat etiam occupare cœlum.

22. Nimiùm se abjicit, qui temporalium bonorum vel spem sibi facit, vel alit. Rusticum votum hoc est, non mentis ingenuæ; & qui cœlum ob ista fatigat, præsumit uti Deo, quasi trapezitâ suæ cupiditatis.

23. Non tanti est mundum universum lucreris, quàm si salutem tuam expetas per merita Christi. Si perseveranter id e-

geris, jam poſſeſſor es cœli: adeò æquè certum eſt conſequiri, ac petiſſe. Quid plura? dei verbum eſt pollicentis ſe daturum, Quod ille affirmat, veritas eſt infallibilis, quod ſpondet, certa ſecuritas.

24. Fallax eſt ſpes omnis humana, certioſiorem fideiſuſſorem non habet, quàm, quæ pro ea ſpondet, fortunam. Vide cui baſi inſiſtat? Quàm firmioribus longè ſuſtentaculis innititur ſpes Divina! Bonitati Numinis, meritis Redemptoris, & patrocinio Virginis.

25. Sat bene dotatum filium relinquit pater, qui in campo occumbens militaris officii ſcribit hæredem: indè enim Reges obſtringi ſolent ad præmiandum. Hæreditas noſtra ſunt merita Chriſti, per illam obligamus Deum ad remunerandum, quidquid agimus.

26. Diligere Deum multorum eſt, verè diligere paucorum. Amare enim arduum nemo dixerit; aſt amare ſuper omnia, hîc punctum, & difficultas. Illud ad ſummum dixerim bene velle, hoc verè amare; ad quod facilitandum ſola valet gratia Divina.

27. Ama-

27. Amare, à quo non possis amari, erroris est: amare à quo possis non amari, periculi: amare à quo non possis non amari, si ames, securissimæ est felicitatis. Porrò errorem illum reperias in amore temporalium, periculum in amore hominum, securitatem in amore Dei.

28. Amare Deum, quia creavit nos, observantia est filialis: amare eundem quia redemit nos, obligatio est servilis: amare illum, quia cœlo donaturus est, lucrum est gloriosum: amare, quia nobis bonus est, benevolentia justa: amare, quia est, qui est, subtilitas amoris, complectens nomina omnia, observantiæ, obligationis, lucri, gratitudinis, benevolentia, & respectûs.

29. Fides est fenestra cœli, spes scala, charitas sola ascendit, & cælum subintrat. Per fidem intuemur à longè quæ orbis alter obtecta tenet, Per spem elevamur à terra, ut subeamus cœlum. Per charitatem ingredimur.

30. Christus est titulus gloriæ, & syngrapha nostræ salutis. Prò quanti æstimatur folium unicum divite censu inscriptum!

ptum! & quâ non ſolet ſolicitudine affer-
vari! Non minorem curam, aut æſtima-
tionem nobis imponat pretioſiſſima cha-
ritas, cui inſerta eſt executio prædeſtina-
tionis noſtræ.

DECAS IV.

31. Eſſe infame habet culpa, omnem
ſuperans malitiæ nomenclaturam, Pœna
potest eſſe horribilis, at non mala. Pecca-
tum malitiâ excedit barathrum inferorū.
Non eſt exaggeratio, quod Anſelmus di-
cebat, ſed obligatio Chriſtiana. *Si una, in-
quit, parte ſeſe objiceret peccati ſeditas, altera
terreret inferni horribilitas, cogererque alteru-
trum ſuſtinere, prius me ad inferna devolverem,
quàm peccati labem admitterem.* Maluiſſet
nempe abſque peccati noxa ſubire infer-
num, quàm contractâ maculâ cœlo recipi.

32. Amor ſpolium eſt Divinitatis: me-
retur totum, quidquid eſt Dei. Odium
pro Lancea habet, quo peccatum confi-
git. Hoc tam horribile monſtrum nemo
propè acceſſerit: feriendum eſt à longè,
id eſt, quâ nocere conſuevit, occasio tol-
lenda. Proderit hîc Parthorum ingenio
uti, id eſt fugiendo ferire.

33. Ban-

33. Bannitus latrocinatur in viis, dæmon in occasionibus: utrique isthic felicius præda obvenit. Peccandi occasio æquè fugienda est, ac specus draconum: tutius hic delitueris à morsu bestiae, quàm ibi à vulnere peccati. Quid dicam? occasio spelunca est Sathanæ, os inferni, insidiæ habitantis peccati.

34. Nemo læditur, nisi à seipso. Nihil enim nobis nocere poterit, ac culpa peccati, ad quam nemo invitus cogitur. Idcirco qui sponte se vulnere objicit, suæ causa est læsionis. Cæcutit mundus ad hanc lucem veritatis. Verùm quid fulgoris decedit Soli, quòd cæcus eum non videat?

35. Falsa est impiorum jactantia: *peccavi, & nihil mihi accidit triste*. Sanius est, quod confulo: non pecces, & nihil non obveniet boni. Quem peccatum non afficit, inter calamitates felix est. Idem reputa inculpatum esse, ac fortunatum.

36. Quorsum mentis ingenuitas, aut generosa, quâ imbuimur agendi methodus, nisi & cum Deo utamur? Tametsi ille æternùm ignoraret culpas nostras,
non

non tamen committenda foret vel unica.
 Tam ſerviendum Deo eſt propter ſeipſum,
 quàm fugiendum peccatum propter id
 ipſum.

37. Deus propter ſe ſolum amandus eſt.
 Idem penè peccatum habet. Licèt non
 foret Dei offenſa, ſeipſo tamen abomi-
 nandum eſſet. Adverte Chriſtiane! quid
 Ethnicus dixerit: quantùmvis conſtaret
 mihi, ignoraturos homines, Deumque
 condonaturum, non delinquerem ta-
 men, ſolum ob peccati turpitudinem.

38. Commendatiſſima devotio eſt, co-
 lere Virginem in precatoriis corollis.
 Hanc longè exceſſeris abſtinendo à pec-
 cato, quo ſcilicet denuo crucifigis Filium
 illius. Anne poſſibile cenſeas, Matrem ab
 illo diligi, qui in ejuſdem conſpectu nulla
 ex cauſa filium perimit amantiſſimum.

39. Sublimiora dogmata Chriſtianus
 habet, quàm Philoſophia dictarit. Diſce
 dere vel unguem à menſura temperan-
 tiæ, Ariſtoteles vitium iudicavit. Nobis
 Pœnitentia virtus eſt, quâ docemur pro-
 ſectum animæ ſanctè redimi corporis ja-
 cturâ.

40. Vir

40. Virtus, non negârim, medium teneat oportet; at perfectio Evangelica plus ultra se extendit, & attingit etiam extrema. Lex rationis est mentibus insita: alteri non feceris, quod tibi fieri non vis. Evangelium supereminet Rationi: vult à te proximo fieri, quod non cuperes fieri tibi. Nunquid non verus Christi discipulus honorari vult proximum suum: ipse despici, vilipendi? bene & molliter haberi alios, se tractari rigidè, ac severè?

DECAS V.

41. Si nasci hominem absque manibus, monstrum est naturæ, nunquid erit monstrum magis, manibus integris nunquã uti? imò, nè vel semel attollas, mortem potiùs oppetere? Manus fortissima est fides, quæ facili nisu levat pondus totius æternitatis. Manus longissima est spes, extenta pertingit ad cælum usque. Hac gemina virtute veluti totidem manibus instructi sumus. Fide libremus pondus gloriæ cum mundi vanitate. Spe firma adhareamus cælo, ut Charitas accipiat coronam suam.

42. Plus debet Christianus pro minima
inspi-

inspiratione à Deo ipsi immissa, quàm omnes Angeli pro universa gratia, quàm dediti sunt. Pro hac non opus erat sanguinem fundere; verùm ut vel unica cogitatione sancta homo imbueretur, Christus mortuus est in Cruce. Pro inspiratione unica debemus Deo pretium infinitum, quia ob illam obstringimur merito Christi pretio, & dignitate infinitis. Pro quantum debitum! sumus, quæso, fideles Deo, ut aliquantum satisfaciamus illi, qui tam solers fuit ut beneficeret nobis.

43. Si Deus fuisset mancipium, & homo Deus, non potuisset (itã differit S. Thomas) plus fecisse pro illo, quàm nunc præstitit. Redemit enim homines, non Angelos (adverte beneficii magnitudinem!) factus homo, non Angelus. Quanta dignitas humanæ conditionis! & quàm insipiens, qui ad aliam anhelat in mundo.

44. Ergone homines pejus tractent Deum suum, quàm spiritus damnati? Illi unico peccato, eoque cogitationis duræ taxat offenderunt Deum; at nos in quantis delinquimus non cogitatione solum sed opere, eoque multiplici.

45. Cha

45. Cha, herba Indica, repurgando stomachum, reliquo corpori vires dat, & alimentum. Qui delinquendo delinquitur, regerat confitendo peccata sua, seque restituet vigori pristino. Herbam illam depereunt Indi, & utuntur quotidie; & qui Christianus non appetit Sacramenta, pharmaca immortalitatis, saltèm quot hebdomadis sumenda?

46. Qui uti par est, sacramenta frequentat, aut semper est in gratia Dei, aut potiori tempore. Non est profectò exile bonum, minùs aut nullatenus periclitari, nè mors inopina peccato subjectos obruat. Securitatem hanc præstant illa pignora salutis.

47. Utendi hoc mysterio terminum optimum statueris octavum quemq; diem, si culpa lethali carueris. Huic enim si obnoxius sis, punctum omne mora est longissima; saltèm nè differto in crastinum. Quæ enim temeritas foret cum peccato obdormiscere, & actualem Dei inimicum omni momento periclitari?

48. Cura corporis longissimè differt à medela animæ. Illa sumptuosa est, hæc profi-

proficua. In Sacramentis utrumque habes: & medentur, & ditant. Æger corpore, dum ſanus fiat, non curat egenus effici; & quomodo infirmus animo non tota cupiditate anhelet, ad ſalutem ſimul, & divitias.

49. Sæpe medendi ratio pejor eſt ipſa ægitudine. Dolor dolore pellitur, & plura sæpe torquet ferri ſævitiâ, aut potionum amaror, quàm vis morbi acerrima. Aſt medicamenta animæ ſuavia ſunt, leniunt, & medentur. Quid times adire Divina myſteria? non proliciunt ſanguinem, non urunt, non ſecant.

50. Bene operare, dum tempus eſt. Nam in extremo illo die, quo neque proderit pretioſiſſimus Chriſti ſanguis, neque aderit interceſſio Virginis; quo terra fugiet, cœlum recedet, uti ſcriptura loquitur, tunc ſola, quæ feceris, aſſiſtent opera bona.

DECAS VI.

51. Parùm differt à desperato, qui obfirmavit vivere abſque alimento. Desperatio eſt defectus orationis in Chriſtiano. Hoc illa eſt animæ, quod cibus corpori

imò ut cum Chrystomo loquar, ipsa anima animæ. Non speret se diu victurum in gratia, qui non se continuò sustentat oratione.

52. Nolle edere cùm habeas, desperatorum est, aut insanientium: non posse edere, ægrotorum: non edere, egenorum. Oratio cibus est animæ; qui inde non alitur, vel gratia pauper est, vel spiritu æger, vel mente captus, aut demum desperati instar damnationi proximus.

53. Si cœco diceres, Regem coràm adefse, nōne componeret gestus omnes in reverentiam? Quid refert non videri à te Numen, quod colis, si noveris tibi adstare? Fides, non oculus, venerationem imperat. Unica vox Angeli totum Israëlem conterruit. Proprior tibi Deus est, ac vox illa populo: cur non trepidas non concuteris?

54. Quis servorum tantâ sedulitate famulatus est hero, ut ab ejus latere nunquam abscesserit? Omni vitæ tempore penè dixerim in mancipium habuisti cælestem spiritum, nullo unquam momento morum pravitate absterritum. Nume-

ra

ra annos hujus obsequii, forsan sexaginta; sint decem duntaxat: nonne multum est ad gratitudinem? Et tamen vix memoria est tam exquisiti obsequii, tam obsequiosi amoris!

55. Admiranda fuit memoria Mithridatis viginti duarum linguarum tenax: praestantior est, quæ unius mortis nunquam non meminerit: prodigium sic aliquando oblivisci. Unicum temporis punctum, quod decurrit æternitas, curas omnes exhauriat totius vitæ. Vivimus enim respirando, penè dixerim expirando, id est imagine animæ agenda. Quoties igitur respiramus, toties mortis meminerimus.

56. Mors à longinquo efficitur bona, adverso naturæ more, quæ agentibus vult materiam adesse, ut queat laborari. Mors, ubi præsens est, rarò redditur bona, fieri bona vult, antequam adsit. Periculosum est tum mori discere, cum moriendū est.

57. Si medicamentum prostaret, quod defuncti reviviscerent, quid non prodigeres in illud? Medela animæ hoc virtutis habet, resuscitat mortuam, & vigorem suo reddit. Hæc gratis venditur, & nemini comparat!

58. Curam animæ, quam Deus imposuit non expleas tollendo duntaxat peccatum: excindenda quoque sunt vitia; damna avertenda, radix evellenda. Culpas tollit confessio, Passiones mortificatio. Hæ radices sunt damnorum, damna culparum.

59. Quis ambitiosus commutaret Romanum Imperium pro arenis Arabiæ desertæ, cujus dominium aliud non haberet, nisi calcando, & itinerando per illas? Venianior est commutatio, quam appetitus facit. Prodigit cœli inexhaustas opes pro tantilla voluptate, & sterili gustu.

60. Christiani prima sollicitudo circa animum sit oportet, sed pro dolor! consuevit esse postrema. Omnia magis curamus, quàm nos ipsos; & tamen cura damnabilior nulla, quàm quæ corpori impenditur. Quidquid huic dederis, Animæ tollis, hujusque dispendium illius est augmentum. Si ex æquo facienda est divisio, dimidium diei continget animam; ut quid ergo totos impendis corpori? Quin & auctarium aliquod tribuendū foret Animæ, cujus scilicet jactura non nisi unica est, & ista æterna.

61. Quod Deus statuerit, noli reproba-
re, neque unquam malè acceperis. Quid-
quid doloris immittit, aut molestiæ, ejus
honoris fit, & bono tuo. Potiùs exulta de
illius gloria, & pro beneficio gratias habe.

62. Amare Deum naturâ suâ infinita est
sanctitas: facere, ut ametur ab homini-
bus, virtus heroica: cùm actu amaverint,
beatitudo invisibilis.

63. Opera Christi sunt meriti infinita,
quia procedunt à Persona Divina; actio-
nes quoque, quæ tribus Personis æquales
sunt, pollent sanctitate infinita. Hæ sunt,
quæ procedunt ab omnipotentia Divina,
& licet non possunt dici mereri aliquid,
cùm non habeant Superiorem, à quo præ-
mientur, dignissimum tamen est, ut quod
facit Creator, creatura non improbet,
gnara illum sapientissimè operari.

64. Habet merita infinita Redemptor
tuus: habet Sanctitatem infinitam Crea-
tor tuus: ut quid moraris te subdere, & in
omnem nutum offerre? En trias sanctis-
sima submittit tibi molestiam hanc cum
infinita Sanctitate, recipe illam saltem

cum aliqua virtute. Omnes tres Deitatis Personæ deferunt eam tibi cum amore, tu recipe cum patientia; submitunt bono tuo, tu nè rejice in damnum tuum.

65. Omnis Dei actio est sanctitas infinita, charitas, & complacentia infinita; gratulemur, si de nostris impensis lætari vult Deus, & (si dicere licet) de laboribus nostris festum agere.

66. Equè sancta est actio, quâ tibi Deus immittit, unde crucieris, quàm fuerit Christum mori pro te. Reverere opera Dei, digna patientiâ tuâ, & amore immitentis.

67. Opus est infinitæ Sanctitatis, si te dignatur Deus afflictione aliqua; quam licet forsitan non merueris, meretur tamen Deus tam sanctus tam amans, ut eam feras patienter.

68. In excellentiam Divinitatis redundat, ut quidquid agit, sui amore agat. Si ergo veraciter diligis, exulta Deum se amare, immittendo tibi afflictionem aliquam. Pluris tibi esse debet. Amor Creatoris, quàm dolor creaturæ; istum se amando lætari, quàm te patiando dolere.

69. Plus gloriæ & complacentiæ sibi ipsi Deus tribuit, cùm te ægrum lecto affigit ad cætera inhabilem, quàm illi dent omnes Angeli & Sancti in cælo, & daturi sunt per omnem æternitatem: jungere Deo, & glorifica illum tolerando quæ jubet. Quod si insuper gratias referas, plus agis, quàm si egisses quàm plurima.

70. Noli nimium angî, si vacare nequeas facerrimæ quieti, aut quæ zelosè deperis, virtutum operibus; potiùs Deo congau- de, quòd ipse, reddendo te inhabilem, opus præstet eximium magis, quàm tu præstiteris rigore, etiam in ævum duraturo. Hoc gaudio mitigabis dolores tuos, & supplebis asperitatem cupitam pari merito, & operis dignitate.

DECAS VIII.

71. Nullum pondus fallacius, quàm prosperitatis: nulla fallibilior mensura, quàm gaudii. Quantum decipimur licitando, mercando! Vis Regulam, certamque rerum omnium amissim? Voluntas Dei est huic si commensures singula, etiam distorta rectificas & plaudis in adversis. Et delissimè pateris, si pati libuerit. Desere-

rent coelestem gloriam beatissimi spiritus, si, nossent Deum velle, quin & ipsas Erebi poenas ad nutum unicum hilares subirent. Pondus quo inclinantur, voluntas Dei est, non gloria ipsorū, aut quæcunq; felicitas.

72. Immensum obstringimur Voluntati Divinæ, si quæ per illam gesta sunt, penitiùs expendamus: omnis in illam veneratio ex debito est. Per illam Spiritus Sanctus procedit in Divinis: per illam statuit Deus incarnari ac mori pro te: per illam se tibi voluit dari in cibum: per illam donari veniã, dotari gratiã, beari gloriã. An non propter eam, à qua tantum ad nos defluxit boni, par erit aliquid tolerare mali? Porrò cùm neque Deus habeat mali aliquid, minùs facere possit, non malè feramus bonum, quod speciem gerit mali, & patientiã nostrã redditur bonum.

73. Opera Dei longè excellit ipsum operari. Discrepat hoc ab illis, quòd opera ejus sint bona, operari verò infinitè sanctum. Opera quæ sunt ad extrà, possunt esse meliora, ipsum operari nequit esse præstantius. Igitur non tam advertas in illud, quod in te operatur Deus, quàm

G 3

quòd

quòd operetur ipse, quidquid tandem id fuerit.

74. Ægrote! nonne injustum videatur tibi, si contradicas Deo, in quo eum laudant, & benedicunt cœlestes Spiritus? Illi benedicunt Deum, quia præbuit tibi ansam bene merendi: cur non & tu benedicias, & proficis ex illa? Exiguum, quod valens Deo daturus eras, felicissimè compensatur gloriâ, & beneplacito Divino ex ægritudine tua resultante.

75. Tollitur tibi, quod deperibas: moritur filius: auferuntur opes. Quid affligeris? Cogita ab illo fieri, qui nequit facere malè. Sustulit filium, sed absque culpa: privavit opibus, sed absque peccato: quia utrumque fecit summa cum sanctitate.

76. Gaudebis de eo æternùm in coelo, quod nunc immodicè plangis in terra. Anticipa hanc lætitiâ, instrue te ad gloriâ, & in mediis malis ordire gaudia, quæ, si salveris, producturus es in ævum. Fac modò, quod, si felicissimus fueris, facturus es in æternum.

77. Exultando tibi Deus immisit morbum,

em id
eatur
n lau-
us? Il-
bi an-
enedi-
quod
com-
vino
mo-
l affli-
uit fa-
e cul-
ccato-
sancti-
coelo-
ca. An-
loria,
aæ, si
Fac
factu-
mor-
bum,

bum, cur tu tristaris? compensa lætitiã
Divinã patientiã doloris, magisq; cor-
di sit Deitui gloria, unde congaudeas,
quã propria afflictio, unde tristeris.

78. Fieri voluntatem Dei sicut in cœlo,
itã & in terra, est gaudenter eam comple-
cti, ubicunque occurrerit. Angeli eam
adimplent cum gaudio, tu noli contrave-
niendo destruere.

79. Inter opera Creatoris non illud est
præstantius, quod fulgentius. Vilis ver-
miculus excellit Planetarum Principem
toto orbe diffusum. Plus virtuti accessit
Jobo à fimeto, & sanie, quã Salomoni
ab omni majestate, & gloria.

80. Sors iniquior sustulit tibi opes, ira-
cundus filium, invidus honorem? Solare
te; quia cum illis non perierit salus tua. Si
dicas, te cum illis perdidisse, quidquid
perdere poteras, sanè amisisti parùm. Cre-
de; hæc omnia nihil sunt, & si nihil ami-
seris, quid cruciaris? Nemo perdit, quan-
tùm perdere potuit, nisi qui morte mala
defungitur.

DECAS IX.

81. Sine ut arbitrio suo supremum Nu-

men disponat omnia; miraberis aliquando summè tibi proficere, quod credideras obfuturum. Mysterium solet esse, quod agit, & agere illius, summi est auctora-
mentum amoris.

82. Quod Deus operatur, admirandum est, pulcherrimum est, sanctissimum est. An non rarum Mysterium, mysteriosa raritas æquali amore creari ab ipso culicem, unde mordeâre, ac cælum Empyreum, ubi æternùm gaudeas? Utrumque facit amando se, utrumque in commodum nostrum. In illo exambit meritum tuum, in isto dare præmium suum.

83. Admodum opulentus est, cui Deus auferendo divitias communicat gratiam. Nempe modicum tollit, & plurimum donat. Qui saniori iudicio, quidquid temporarium est, nihili duxerit, non queretur auferri partem illius, & cum illa cumulum curarum.

84. Misericorditer Deus agit, cum tollendo vires corporis unà tollit ansam peccandi. Hoc gratiæ est, illud infirmitatis; hoc bonum legitimum, illud putatitium, & miseria solùm apparens.

85. Hunc

85. Hunc Deus præ cæteris honoratum cupit, quem per jacturam æstimationis terrenæ, idoneum reddit gloriæ cælestis. An non pluris æstimes honorem, quem Deus contulerit, quàm quem homines finxerint. Deliciæ sunt amantis Domini, auferre, voluptatem, & ingerere sui amorem, id est, porrigere aurum, & surripere coenum, ditare simul animum, & purificare.

86. Stoicorum labor fuit extirpare affectus: Studium Christianorum est illos in ordinem redigere. Philosophia sanctorum est, anhelare vilipendi: mysterium Evangelicum, sibi ipsi vim inferre. Prodigium gratiæ est, commutare affectus: metamorphosis Divina, voluntatem terrenam in cælestem transformare, &, uti Paulus loquitur, novam creaturam fieri.

87. Voluntas Divina ipsa est beatitudo. Adversa convertit in prospera, mala transformat in bona. Vide sis vim admirabilem; & quò ea noverit penetrare! dum de contrario suo triumphum agit.

88. Datur materia, quæ artem superat; nihil autem est, quod non cedat volunta-

ti Divinæ. Pretiosum fuit Jobo fimetum suum, pretiosa Manassi captivitas; neque ille præposuerit fimo divitias, neque iste vinculis thronum Regalem.

89. Voluntas Divina omnia bonitate suâ informat. Cum illa potes amplecti poenas æternas, & absque illa dimittere gaudia sempiterna.

90. Voluntas Divina est norma omnium normarum, Ratio rationum, causa causarum, hydrophylacium omnis boni, & occultarum gratiarum profluvium. Errat qui eam non adimplet; & qui non suffert, se perditum it.

DECAS X.

91. Veluti Aquilæ Imperiali duplex est vertex, & vertici duplex corona, sic Majestas voluntatis Divinæ bifariam se diffundit. Unum est, ut id omne velimus, quod illa facit: alterum, ut faciamus, quod illa vult. His duobus adoramus duplex & venerandum divinitatis diadema.

92. Voluntas Divina debet esse primū, medium, & ultimum voluntatis humanæ, hæc autem cum illa inchoare, cum illa progredi, & finire. Ejus sphaera immensa est,

sa est, & transcendit omnes cœlos. Extremum felicitatis, quam creatura potest ex-ambire, est Voluntas Creatoris; summa autem felicitas, quæ, vel ipsi Beatitudini anteponitur.

93. Velle Divinum res est pulcherrima; abyssus sanctitatis: lilium inter spinas: rosa inter vepres: aurum in paupertate: gloria in illusione: felicitas in necessitate.

94. Venerandum quid est Voluntas Divina, sacrosanctum, & inæstimabile; cujus pretium quæ exprimam luculentius, nisi forsan dicendo, nihil esse vel in terra, vel in cœlo, neque ipsam claram Dei visionem, cum qua possit commutari, taceo cui valeat anteferri. Fac tot linguas esse, quot sunt arenæ granula in terra, quot in aëre atomi, quot sidera in cœlo, non suffecerint exprimendo pretio Divinissimæ voluntatis.

95. De Voluntate Divina resultat major ejus gloria, uti è fœcunda radice flos pulcherrimus. Tu hæc duo nè disjunxeris; eodem respectu observanda est ejus Voluntas, ac major gloria.

96. Dixerim Regaliam aut thiarum Di-

vinitatis : nam soli Deo competit jus in illam. Quod si præsumeret usurpare homo, tolleret diadema de capite illius. Prodidisse Regem infamia est æterna, prodidisse Deum temeritas abominanda.

97. Quod Deus vult, in se bonum est: id verò adimpletum ab homine, adhuc melius est: ipsum autem velle Divinum, optimum est. Prò quanta energia bonitatis Divinæ! non est calamitas, cui non resistat, quam non convertat in bonum, duntaxat volendo.

98. Grande Verbum, *Voluntas Dei*, & ingens mysterium! Ad nomen illius par est curvari genua omnium creaturarum. Per illam emanat Spiritus Sanctus: stupenda sanctitudo! Ab illa profluit omne bonum: ô immensa vis bonitatis! Quidquid vult, quidquid agit, bonum est; neque potest homo velle aut facere quid melius.

99. Voluntas Dei est fornax intentionis humanæ; nisi hinc recocta depurerur, nec munda erit, nec recta. Ast ubi se conformarit, tum instar auri puri & immunis erit à fæce, & expers erroris.

100. Beneplacitum Divinum est amul-

sis

sis Rationis. Ratione caret, qui amissim non sequitur. Est valor bonorum operum, quæ nihil appendunt nisi ab illo pondus accipiant. Est lapis lydius virtutis: adulterina est, quæ illius affrictu non se probârit. Non dico non despiciat, solùm non respiciat in Deum, jam vim virtutis amisit. Quæ solùm agit, quod Ratio probârit, non est nisi simpliciter bona. Illam dixerò eximiam, & auri instar vigesies quinquies repurgatam, quæ operatur uti cælestis: quæ à solâ charitate impellitur: quæ unum quærit in omnibus Dei beneplacitum.



Dictamina Spiritualia.

DECAS I.

Nemo querulus dixerit, se modicùm posse, atque ideo negligi operam suam. Multùm potest, qui potis est Deum impensè amare. Fac cætera tibi desint: hoc uno abunde valueris. Convenit sæpe, nihil posse agere, ut possis majora. Non semel otium, quod inutile credimus, rebus agendis maximè opportunum est.

Non